DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM

DE USU AQUÆ FRIGIDÆ EXTERNO

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUÆDAM

DE USU AQUÆ FRIGIDÆ EXTERNO

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THEODORICUS BLAIR BANISTER,

VIRGINIENSIS,

SOCIET. MED. PHILADELPH. SOC. HON.

NECNON

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

——— " *Elegit contraria flumina flammis.*"

OVID.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1804.

WILSON MILES CARY

DE *CELEYS*,

IN CIVITATE VIRGINIENSI,

ARMIGERO,

TAM AFFINITATE,

QUAM BENEFICIIS

EI ADJUNCTO,

HOC TENTAMEN

SACRUM

VULT

AUCTOR.

ERRATA.

In nota, p. 4.	*pro*	remedii sesse,	*lege*	remediis esse,
Et in eodem loco,	*pro*	pertractandus est,	*lege*	pertractandum est,
P. 22. lin. 10.	*pro*	aluminis	*lege*	alumnis
P. 23. lin. 1.	*pro*	longi	*lege*	longè
P. 27. lin. 3.	*pro*	AQUA	*lege*	AQUÆ

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

USU AQUÆ FRIGIDÆ

EXTERNO COMPLECTENS.

CAP. I.

HISTORIA.

SATIS credibile est, balnea, etiam apud primos qui terras incoluere homines, in usu communi fuisse. Ex Scriptis Sacris enim colligimus, populares Judeæ, aliarumque gentium orientalium, ita intellexisse quæ commoda munditie fluant, quàm necessaria

 valetudini

valetudini sit, ut eam religiosè coluerint, et qui eam neglexerint, vix non nefarios habuerint.

Sancto illi instituto, quod Anglicè *baptism* vocatur, quodque olim, submergendo infantes aquâ, peragebatur, FLOYER multas et miras, in prohibendis rachitide, aliisque morbis hæreditariis, dotes attribuit. Nemo quidem ignorat, aquam frigidam, in hos morbos quàm maximè pollere; sed nemo, me judice, auctoris illius sententiæ temerè assentiet, unam duntaxat submersionem tantos præstituram effectus; nisi quidem putet, aliquid præter naturam sacro in fonte inesse.

Quisquis HOMERI opera legat, discet ille, balnea apud Græcos primis sæculis instituta fuisse.

Romana juventus, quæ sese quotidiè in Campo Martio exercebat, natandi fuit studiosissima. Perfusa sudore, ac æmulatione fervida, hæc

hæc strenua juventus Tybrim pedestri cursu petebat, undasque fortiter secabat: neque priùs fuit certaminis finis, quàm bis terve flumen transnataverant *. "Durum e stirpe genus!" Hisce artibus roborata, vicissitudines omnis cœli impunis sustinebat, et arma per totum terrarum orbem victrix ferebat.

Nil hodie, luxuriam balneorum, quæ olim Romæ erant, æmulari queat, et ruinæ ædificiorum splendidorum, ingentiumque, ob hanc causam, diversis imperatoribus constructorum, adhuc omnium animos admiratione defigent.

Frigidæ usus etiam in morbis curandis vetustissimus est. Pater medicinæ HIPPOCRATES arcanorum naturæ scrutator perspicax, animadvertens calorem corporis febricitantis auctum,

---

* Vide HIERON. Mercurial. De re gymnastica.

——————— Ter uncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto.

HORAT.

auctum, hunc esse in causa proxima morbi, sibi ipsi persuasit *. Ad hunc igitur levandum, pannos aquâ frigidâ madefactos, partibus fervidissimis admoveri jussit.

Celsus quoque, de aquâ, tum corpori universo, tum parti tantùm applicatâ, haud raró mentionem facit †.

Recentioribus,

* Riollay's Introduction, &c. p. 9.

† De cura febrium pestilentium, inquit: "Sed in hoc maturiùs, quàm in aliis morbis, ducere in balneum opus est." Et in eodem capite, "Possunt etiam super stomachum imponi, folia vitis in aqua frigida tincta." Vid. Cels. lib. iii. cap. vii.

De curatione febrium lentarum, idem auctor dictus, has febres sine ulla remissione nonnunquam durare, et nullum locum remedii sesse, pergit, "In hoc casu, Medici cura esse debet, ut morbum mutet; fortassè enim curationi opportunior fiet. Sæpe igitur ex aqua frigida, cui oleum sit adjectum, corpus ejus pertractandus est, quoniam interdum sic evenit, ut horror oriatur, et fiat initium quoddam novi motus, exque eo, cum magis corpus incaluit, sequatur etiam remissio." Cels. lib. iii. cap. ix.

De

Recentioribus, saltem in Europa, aqua non externè corpori priùs admota fuit, (ut accepimus), quàm exeunte sæculo decimo septimo, vel ineunte decimo octavo. Tamen satis verisimile est, eam, apud populares regionum orientalium ante id temporis, in usu fuisse. CHARDIN narrat, se, dum hasce regiones peragrabat, febre implicitum, et curæ pharmacopolæ indigenæ commissum, aquâ frigidâ corpori nudato affusâ, sanatum esse *.

In historia frigidarii, quam edidit JOHANNES FLOYER, pauca exempla referuntur, in quibus exitus felicissimi immersionem febricitantium,

---

De affusione aquæ calidæ inquit, " Quidam ex antiquioribus medicis, CLEOPHANTUS, in hoc genere morborum (febre tertianâ) multò ante accessionem, caput ægri, multa calida aqua perfundebat, deinde vinum dabat." Sed virtutibus ejus non multùm fidet; nam postea dicit, " Quod quamvis pleraque viri præcepta secutus est ASCLEPIADES, rectè tamen præteriit, est enim anceps. CELS. lib. iii. cap. xi."

* Aud. GREG. Prælect.

citantium, qui delirio laborantes, in flumina sese conjecerant, secuti sunt. In eodem libro, hujusmodi exemplum insigne, e scriptis WILLISII, a BAYNARD extractum, inveniri potest *.

Longè verò accuratissima historia aquæ externè adhibitæ, nuperrimâ excepta, a J. G. DE

* Ancillæ febricitanti medicamenta solita primo adhibita sunt. Sed, "his (inquit) parum aut nihil juvantibus, per septem vel octo dies, illa insomnis usque et furiosa admodum perstetit, potum frigidum ejulando et clamando, perpetuò exposcens; quapropter hydroposia ad libitum, immo ad satietatem, concessa, nequaquam sedatior aut minus sitibunda facta est; itaque jussi, (siquidem tempus æstivum fuit) ut mediâ nocte a mulieribus sublata, et foras perducta, cymbæ imponeretur.——Dein vestibus exuta, et vinculis soluta, fluvio profundo immergeretur, fune tantum circa corporis truncum, ne fortè submersa interiret, alligato.——Post tertiam aut quartam horæ partem, sana ac sobria aquis eximitur; dein lecto commissa dormivit, copiosè sudavit, posteaque sine alio quovis remedio convaluit."—Vide *History of Cold Bathing, by Sir John Floyer*.

De Haen est tradita, in dissertatione *de Epidemia Verna quæ Wratislaviam, anno* 1737 *afflixit* *. Hæc dira pestis diu sæviit, magnasque strages edidit. Remedia usitatissima febris, nihilomnino contra eam valebant. Aliorum venæ incisæ sunt, aliorum non. Omnes pariter morbo ceciderunt. Tandem De Haen consilium cepit corpora aquâ frigidâ lavandi. Haud pauci lavatorum, de quibus ferè desperatum erat, mirum in modum convaluerunt; perierunt illoti. Sed tametsi hoc remedio tam faustè Germani utebantur, tamen ultra eorum fines, vix aut ne vix transivisse videtur.

Cel. Gregorius, viginti abhinc annis, ut ipse suis prælectionibus nos certiores facit, corpora typho laborantium, summo cum fructu, lavare solebat.

Dr

---

* Vid. Append. Act. German. vol. x.

Dr Wright verò, remedium ultra quod alii, frigidâ corpori nudato affusâ, extendit. Seipsi febre typhode laboranti, dum ab insula Jamaica Britanniam versùs navigabat, prima occasio virtutes ejus experiendi sese obtulit. Felix in proprio exemplo eventus, aquam adolescenti eadem nave vectori, paulò post similiter ægrotanti, affundere suasit. Et in hoc casu, sequela haud minùs fausta fuit. Nam febris cursu arrepta, et brevì soluta est. Sed ingeniosissimus Currie, leges quibus frigida adhiberi debet, primò accuratè investigavit, et libro suo eleganter felicissiméque edócuit. Brevì post Wright narrationem suam in lucem ediderat, hujusce remedii effectus, in febre quæ in nosocomio apud Liverpool, apparuit, longiùs meliùsque explorati sunt. Hoc tempore, quatuordecim fuere febricitantes in nosocomio, horum octo curæ peritiæque Doctoris Currie committebantur. Omnibus, unâ exceptâ, affusionem frigidæ adhibuit. In hoc exemplo remedium non fuit usurpatum, propterea qùòd ex altera causa tunc temporis

ptyalysmo

ptyalysmo vexabatur. Ptyalysmus verò, (ut nuper compertum est), nihil obstat, quò minùs affusio adhibeatur. Omnes, quibus affundebatur aqua, convaluerunt.

Paucis annis elapsis, febris contagiosa legionem peditum in urbe Liverpool considentem, summè afflixit, alteramque occasionem remedii vires confirmandi præbuit. Ex militibus quinquaginta octo, qui ægrotabant, in exemplis triginta duorum tantùm, morbus per omnes ejus gradus duravit; in cæteris affusione tempestivè adhibitâ, progressus cohiberi visus est. Duo tantùm valetudini succubuerunt, et iis, propter plures causas, aqua non affusa est. Postremo, quotidianâ lavatione aquæ maritimæ, morbus tandem cessavit *.

Plurima exempla ipse vidi, ægrorum in nosocomio regio Edinensi, quibus (imperante

* Vid. Med. Reports.

Doctore Home,) affusio faustissimè adhibita est.

Et in miserrimis hujus urbis pauperum casis, quosdam affusione solâ sanatos notavi, etiamsi sub omni incommodo laborarent, cùm propter victûs idonei desiderium, tum etiam aëris puri. Sed vires mirabiles, quas præstat remedium, nunc adeo sunt firmatæ, ut vix meum testimonium de hac re dicere necesse sit. Nunc igitur recensere progrediar regulas, quas semper memoriâ tenere oportet, quando frigida febricitantibus sit admovenda.

CAP.

CAP. II.

DE REGULIS QUÆ OBSERVARI DEBENT, QUANDO FRIGIDA ÆGRIS AFFUNDENDA EST, &c.

In quâlibet febre continuâ, exacerbatio una minimùm, quotidiè observatur. Tempus remedio adhibendo aptissimum, est, quando exacerbatio ad summam sit. Hoc, die advesperascente, plerumque accidit; Currie igitur suadet, spatium inter horas sextam et nonam pomeridianas, maximè huic proposito idoneum esse. Sed affusio semper tutò adhibeatur:

1. Cum nullus adsit frigoris sensus.

2. Cum nullus sit sudor profusus vel generalis.

3. Cum

* Secundum Cullenum binæ.

3. Cum calor gradum sanum superet, et ultra illum gradum constanter maneat *.

1. Si calor etiam superaret gradum solitum, quem in corpore sano attingit; tamen ægro sensum frigoris ullum habenti frigida non est affundenda; nam in hoc casu, non solùm non innoxia, sed etiam valdè perniciosa foret.

2. Si calor gradum naturalem non superat, sed tantùm æquat, affusione uti non fas est; multò minus si inferior sit.

3. Sudor profusus vel generalis, affusionem nobis etiam interdicit; præcipuum enim munus, quo fungitur halitus cutis, est, corpus nimis calefactum refrigerare. Planè igitur constat, ut, sudore profuso aliquamdiu perstante, frigida impunè admoveri nequeat; sed sudore modò erupto, præcipuè si exercitatione

* Vid. CURRIE's Med. Rep.

tione vehementi cieatur, affusio non nocebit. Nam sudor non satis diu duravit, ut corpus refrigeraret. Et nisi fallor, quò magis corpus calet, eò meliùs frigus tolerare potest.

Catarrhus quoque usum remedii prohibere diu existimatus est; sed sine causa secundum Doctorem HOME, si alia affusioni adhibendæ apta sunt *.

Quod ad aquæ temperiem etiam animum advertere medicum oportet.

Balneum in frigidarium, tepidarium et calidarium, auctoribus dividitur. Sed de primo tantum, nobis in animo est, verba facere.

Frigus quod ad effectus variat pro gradu et diuturna applicatione. Magna intercedit differentia opinionem inter quæ nunc, et olim, de

* Aud. Prælect. Clinicas.

de frigoris operandi modo valuit. Frigus diu materiam esse existimabatur, exque ejus acrimoniâ, acidum. Particulæ quædam acie acutissimâ præditæ, in aëre volitantes, essentiam ejus constituere credebantur.

Sed nunc compertum habemus, frigus materiæ expers esse, nihil aliud præter abstractionem caloris, (vel calorici ut nunc appellatur,) et nullam potestatem sibi propriam habere. Nobis igitur concludere æquum est, effectus frigori proprios semper sedantes esse, ut suam operationem edat, solùm calorem corpori stimulum validissimum tollendo. Tamen frigus subitò et brevissimè admotum, tantam concussionem (si hâc voce fas est uti,) sensumque adeò violentem corpori impertit, ut, viribus vitalibus renitentibus, stimulus haud impotens fiat. Hic renixus est in ratione frigoris, subitæ ejus applicationis et potestatis caloricum deducendæ, quam habet medium quo frigus corpori admoveatur. Aqua temperiem graduum quinquaginta habens, quod ad vires sedativas æquat aëra triginta

ginta duos tantùm habentem, præ facultatibus calorici transmittendi diversis, quibus hæc fluida pollent *.

Frigoris applicatio igitur vel brevis vel diuturna foret, secundùm effectus, quos inducere volumus; si sedantes diuturna, stimulantes brevis ac subita.

Languor et denique torpor, quos frigus longum atque intensum inducere solent, sedantes ejus dotes satis demonstrant. HAWKESWORTH historiam circumnavigationis inclyti COOK tradens, peraccuratè et eleganter illustravit modum, quo frigus vires vitæ paulatim minuit, tandemque abolet. Hæc narratio omnium in ore est.

Ut in typho summa debilitas valet, sic usus remediorum stimulantium indicatur; ideoque affusio frigida, ad hoc faciendum, aptissima esse

* Audi Prælect. HOME de Mat. Med.

esse videtur; corporique nudato aquâ affusâ perficitur. Etiamsi frigida haud parùm timoris primum ægris incutit, et illis calore febrili torridis impetum tam violentem facit; tamen sensus adeò jucundi inde oriuntur, ut eos remedii repetendi semper cupidos reddat *. Dein plerumque statim sequitur levamen omnium signorum urgentium, qualium, sitis, doloris capitis et delirii. Tum inde, somnus suavis membra delassata fovet, et sudor lenis emanat.

Hæc signorum remissio, aquæ absorptæ, an spasmo soluto, tribuenda sit, dubium;—causa latet, vis est notissima.—

Ut

* Librum legens *Medical & Physical Journal*, insignem istius rei factæ confirmationem inveni. Puero circiter octo annos nato, febricitanti, frigida adhibita erat. Calore febris urgente, vespere quodam a famula derelictus est. Parvulus, haud immemor priorum sensuum jucundorum ex ejus usu orientium, prensat cucullum aquæ qui aderat, et sibimet in lecto jacenti affundit. Felix eventus solitus hanc affusionem etiam sequebatur.

Ut creditum est, affusionem suam operationem præcipuè ejus viribus stimulantibus èdere; CURRIE igitur, ad hunc effectum augendum, aquam admistam cum sale communi adhibere suadet; vel quod ad idêm redit, aquam marinam fontanâ potiorem esse, quando illa in propinquo sit. Acetum aquâ commistum eidem officio etiam inservit; sed majoris pretii emitur, ideóque non semper usurpari potest.

Quando frigida remedium febris adhibetur, semper memoriâ tenendum est, quò citiùs (quod ad febris spatium) applicetur, eò tutior et efficacior erit. Si actio febrilis nondum stabilita sit, affusio tempestivè admota, haud rarò catenam rumpit, paroxysmumque penitùs solvit. Sed morbo progrediente, si calor corporis minuitur (et hâc re ferè solâ regi debemus) remedio nostro uti non fas est. Cùm, præ debilitate, frigida non tuto adhiberi potest, affusio tepida sæpe summo cum

fructu pro ea usurpatur *. Sed hæc etiam non semper sine discrimine adhibenda est †. Cum enim debilitas summa adsit, et calor corporis plurimùm minuitur, tantum calorici dispendium vaporationem aquæ sequeretur, ut vitæ scintillam pene si non omninò extingueret. Corporis temperiem præter naturam auctam redigendo, haud parum valet tepida: Sed effectus ejus nequaquam adeò durabiles ac frigidæ sunt, nec potestatem febris dirimendæ habet. CURRIE, non sine causa fortasse, existimat, frigidæ vires minores contra morbos regionum calidarum fore, quàm mediarum; obque hanc causam, aquam fontis in his multò frigidiorem quàm in illis esse; et idcirco ut aqua, non semper arte refrigeranda est, effectus minores præstaret. Quando res

* Dr HOME in Nosocomio Reg. sæpiùs et felicissimè ægris affusionem tepidam nuper adhibuit. Calor corporis minuitur post affusionem, et æger plerumque, statim dormiscit.

† Vid. Medical Reports.

res sic sese habet, MACLEAN suadet effectus ejus auctos esse, priùs ducendo in balneum quàm affusio adhibetur. Nam vicissitudine caloris frigorisque, sensus validior inducitur. Frigida quoque inopinatè adhibita multò magis pollet *.

In synocha, meo judicio, remedium nostrum priùs usurpari nequeat, quàm sanguis detractus fuit, aliaque remedia sedantia admota sunt. Nam frigida diathesin phlogisticam augendo multùm noceret.

In febribus intermittentibus curandis, CURRIE ab experientia propria invenit, affusionem non sine fructu admotam. Si ante paroxysmum adhibetur, ejus accessio producitur; si, calore febris urgente, sudorem citò elicit, et paroxysmum solvit. Tamen accessionum reditum omninò non potest arcere. Sed stomachum roborat, multumque validiorem reddit cinchonam in devorando.

CAP.

---

* Vid. MACLEAN, Treatise on the Diseases of the Troops in St Domingo.

CAP. III.

DE USU FRIGIDÆ IN FEBRE FLAVA ET PESTE.

PROXIMÈ typho cognata est febris flava Indiæ Occidentalis atque Americæ, CULLENO Typhus Icterodes dicta. Licebat sperare remedium nostrum, in hoc morbo regionibus occidentalibus tam infesto, maximè profuturum esse. Nec experientia ulterior hanc spem delevit.

MACLEAN, in libro suo, de exercitus morbis in Insula Sancti Domingo militantis, plura exempla narrat ægrorum hac febre laborantium, quibus summo cum fructu frigida affusa erat. Ille præcipuè utilem esse opinatur, cùm vires vitales maximè deficiunt.

Hæc

Hæc res usum remedii illi suggessit. Dum in India commorabatur, febris maligna, cum magna strage afflixit unam ex navibus societatis mercatorum Anglicorum *, quæ tum in portu tenebatur anchoris. Plurimi nautæ morbo confecti sunt, omnibus frustra remediis adhibitis. Unus ferocissimè delirans, sese in mare projecit; statim in navem reductus, et lecto commissus est. Alta serenaque quies sequitur; postridie remissio febris observatur, et brevì æger convaluit. Postea, exemplum alterum huic simillimum, in eodem loco, occurrit, exitumque haud absimilem habuit.

In hoc morbo, frigidæ usum, JACKSON multùm extollit.

Sed in febre flava, quæ Philadelphiam anno 1793 vexavit, RUSH administrante, non multum prodesse videbatur; ejusque sine discrimine usus (nam dum frigus haud exiquum aderat

* The East India Company.

aderat adhibita est) non parum nocuit. Verùm frigidam parti tantùm applicatam remedium satis potens invenit. Dolor capitis, aquâ pannis madefactis adhibita, sublevatus est, ardorque intestinorum, (nam in hoc morbo torrentur viscera flamma), injectâ in rectum, minutus. Lavatio quoque manuum et faciei, levamini ægris haud parvo fuit. Idem vir celeberrimus narrat, se compertum habere experimentô quodam ex aluminis institutô, vires, quibus frigida, in moderandis cum celeritate, tum impetu sanguinis pollet, haud exiguas esse. Pedibus enim submersis, pulsus arteriarum viginti ictibus in sexagesima horæ parte rariùs micavit, et adeò debilis factus est, ut vix percipiendus *.

Dr WRIGHT, cùm medicus in exercitu Britannico Indiam Occidentalem redivisset, in febre harum regionum flavâ, frigidarium expertus est, et summum beneficium ab ejus usu tempestivo conspexit.

Sed

* Vid. Med. Inquiries, &c. vol. iii. p. 228.

Sed longi certissimam super hac re informationem nuper accepi. Doctores SELDEN et WHITEHEAD, feliciter medicinam apud *Norfolk*, in civitate Virginiensi, facientes, in epistola quam Doctori MITCHELL, Novi Eboraci degenti, scripserunt, dicunt, affusionem frigidæ more Doctoris CURRIE adhibitam, summo cum fructu ab iis usurpatam, in febre flava quæ *Norfolk*, anno 1801, afflixit. Remedio die secundo febris, vel ante, adhibito, in nullo exemplo, solutio morbi non citò secuta est. Tamen febre, vel potiùs calore febrili decrescente, cæteris symptomatis nihil levatis, affusionem nullum beneficium secutum est. Simul cum submuriate hydrargyri, (contrà hunc morbum tam efficace), frigidam usurpaverunt; nullaque incommoda inde oriri videbantur. Affirmari potest, (inquiunt hi medici), febrem submuriate non affusione sanatam esse; sed ille solus adhibitus solutionem morbi efficere non valuit. Effectus felices remedii nostri applicationem in typho consequentes, in hoc morbo etiam valdè per-

sp cui

spicui fuerunt. Nam statim post affusionem, dolor capitis et delirium mitigantur, quibusque

"Ora sicca rigent, squamosis aspera linguis,"

iis, frigidâ admotâ, humida et mollia fiunt, nec ægri ampliùs sitiunt. Pulsus etiam triginta ictibus in sexagesima horæ parte infrequentiores evaserunt. Calor etiam minutus est, sed quantò nullam mentionem faciunt. Ægri similiter ac in typho, semper remedii iterum applicandi fuerunt cupidi. Tantum enim levamen præbuit.

Simillima morbo jam citato, (saltem quod ad stragem utroque editam,) est pestis regionum orientalium. Tempore anni, (secundum Savary,) quo incolæ Ægypti morbo præcipuè obnoxii sunt, plurimi victu parco, et frigidâ crebrâ lotione, valetudini occurrunt*.

Dum

---

* Lettres sur l'Égypte, tom. iii. p. 9.

Dum pestis Conſtantinopolin devastat, Angli et Galli advenæ domicilia occupantes et sic sese a morbosis amoventes, cum quotidiano frigidarii usu, morbi expertes manent.

Contra indigenæ, se numen offensuros timentes (nam putant pestem a Deo missam esse, ad eos propter scelera sua castigandos,) nihil cavent, et ignorantiæ superstitionisque pœnas luunt.

Nondum compertum habeo, an medici valetudini exercitus Britannici præeuntes, dum in Egypto militabat, remedium nostrum in hoc morbo usurpaverunt; sed narratio margini adjecta, quam navis præfectus Domino Savary communicavit, frigidæ vires contra pestem satìs demonstrat *.

" * Je sortois (inquit) de Constantinople, où la " peste exerçoit ses ravages. Mes matelots avoient " contractés

In febribus ardentibus (inquit BRUCE) regiones juxta Mare Rubrum positas infestantibus, si æger die quinto morbi peracto adhuc superstes erit, sæpè sanatur, aquam frigidam tantùm bibendo, eamque jacenti in lecto affundendo, ubi sine vestibus mutandis manere cogitur,

---

" contractés cette epidemie. En leur donnant des " soins, je gagnai la contagion. J'éprouvai une cha- " leur excessive, qui faisoit bouillonner mon sang. " Ma tête fut bientôt prise, et je m'apperçus que " je n'avois que quelques momens à vivre. J'em- " ployai le peu de jugement qui me restoit pour " tenter une experience. Je me deshabillois tout " nud, et me couchai pendant la nuit sur le tillac de " vaisseau. La rosée abondante qui tomboit, me pe- " netra jusq'aux os. Elle me rendit, en peu d'heures, " la respiration plus libre, et la tête plus saine. " L'agitation de mon sang se calma, et le matin a- " près *m'être baigné dans l'eau de la mer*, je fus par- " faitement gueri.

" J'ignore (inquit SAVARY) si ce remède est in- " faillible; mais je suis certain, que toutes les ma- " tières pestiferées, que l'on passe dans l'eau, ne " communiquent plus le poison."—Vid. Lettres sur L'Egypte, Note, p. 13. tom. iii.

cogitur, donec inundatio altera primam sequatur*.

CAP. IV.

DE AQUA FRIGIDÆ USU IN QUIBUSDAM EXANTHEMATIS.

Affusio etiam in alteris morbis diversi generis cum summo fructu admota est, præcipuè duobis exanthematis, Variolis et Scarlatina.

1. Sydenham regimen frigidum in variolis usurpandi fuit auctor, et ulteriores hanc disciplinam secuti sunt. Aër frigidus plurimum in hoc morbo prodest. Hic verò in omni casu calorem febrilem moderare nequeat.

* Vide Bruce's Travels, vol. iii. p. 33.

queat. Ad hunc finem, multò magìs valet affusio. Variolæ infantibus insitæ ferè adeò mites sunt, ut vix ullum auxilium postulent. Sed adultis insitæ, febris multò vehementior fit, ideóque rationem medendi validiorem poscit. Febris symptomaticæ vehementiam moderando, et sic eruptionem consequentem, (altera enim semper in ratione alterius est,) affusio præcipuè indicari videtur, et ejus vires experientia haud parca confirmavit. Pustulis eruptis, corpus minus incalescit; in hoc morbi spatio igitur frigida penè si non omninò abstinenda est. Exemplum variolosæ Doctori Home, dum Professor Clinicus nuper Nosocomio præibat, occurrit. In hoc affusio faustissimè usurpata fuit. Ejus effectus observandi in hoc morbo, hæc sola occasio mihi sese obtulit.

Sed inventum Jennerianum feliciter hoc monstrum horrendum extirpandi modum suggessit. Brevi igitur, (id quidem in optima spe pono,) affusionem vel ullum remedium in

variolis

variolis adhibendi, nobis facultas non ampliùs data erit.

2. Contra scarlatinam, hoc remedium GERARD primus usurpavit. Pluribus, in eadem domo, hac febre laborantibus, affusionem felicissimè adhibuit; et invenit, non solùm ac in typho, potestatem febris arcendæ habere, sed etiam eruptionis cutis efflorescentis fauciumque affectionis prohibendorum *.

MOSMAN lavatione frigidâ usus est in exemplo ægri hoc morbo impliciti, postquàm eruptio comparaverat. Lingua fuit sicca, oculi suffusi, calor intensus, et pulsus usque ad ictus 135 horæ parte sexagesima aucti. Corpore ægri aceto frigido sæpiùs loto, febris paucis diebus abiit, et homo convaluit. Septem

* REID, Medicus Londinensis, etiam affirmat, affusionem affectiones hydropicas prohibere, quæ scarlatinam sequi solent.

Vide Medical Journal, Dec. 1803.

tem iisdem in ædibus similiter ægrotabant, et in eodem modo sanati fuerunt *.

Gregory cel. in suis prælectionibus epistolam, quam Currie, Doctori Wright scripserat, citat, in qua inquit, se, inter diem vigesimum Julii et decimum Octobris, affusionem in exemplis quinquaginta duobus scarlatinæ administrasse. Omnibus duobus tantùm exceptis, qui tam laborabant ut omnem spem ab usu remedii ferè precluderent, affusio felicissimè adhibita fuit.

Gregory etiam narrat, se, duobus suis liberis scarlatina implicitis, frigidam adhibuisse. Quoties calor corporis multùm augeri videbatur, in frigidario immersi sunt. Statim symptomata urgentia mitiora facta sunt, et tametsi eruptio non prohiberi videbatur, tamen nulla fuit faucium affectio †.

Bevan

* Vid. Annals of Medicine, vol. iv.

† Aud. Greg. Prælect. &c. de Med. Pract.

Bevan quoque, in dissertatione sua inaugurali, memorat, se duo vel tria exempla scarlatinæ vidisse, in quibus affusio felicissimè adhibita fuit.

3. A magna vi qua sanguis in morbillis pulmones versus impellitur, et catarrho hunc morbum semper comitante, inferri potest frigidam non esse affundendam. Sed si ratiocinationem analogicè deducere fas est, (nam probabilè est id quod ferè fieri solet), hic sanguinis impetus eodem modo ac eruptio cutis in aliis hujus ordinis morbis a febre symptomatica oritur. Ideóque hâc moderatâ, morbus sequens etiam moderabitur. Hæc inductio sequentibus confirmari videtur.

Bevan enim inquit, affusionem (sine quovis alio remedio) fortuitò, tribûs febre morbillis præeunte laborantibûs admotam esse, omnique in exemplo morbum sequentem signa mitissima habuisse *.

Nonne

---

* Dissert. Inaug. June 1803.

Nonne igitur hanc mitigationem remedio attribuere licet?

Post, verò, quam eruptio formatur, affusio adhiberi nequeat, nam in hoc morbi gradu, applicatio frigoris nimìs libera noceat, quàm catarrho aucto, tam eruptione retropulsâ. Hoc semper evitandum est. Hi sunt morbi principes classis Pyrexiæ, quibus remedium nostrum adhibitum est, et de his tantum nobis in animo fuit pauca loqui. Parùm de operandi modo dixi; parùm fortassè cognoscitur. Et Heberdenus, in castris Æsculapiis, veteranus, non sine gravi causa, inquit, "Ecquis "autem tam consultus fuerit legum, quibus "corpus humanum administratur, ut medica-"mentorum facultates explicare audeat."

FINIS